

- 20 Guttur habes lepidum, cuncta dulcedine plenum,
 Testudo manuum tonatilis^{a)} talis ut aurum,
 Immo te solam plus cunctis dico decoram,
 Censeo te pulchram maculam quia non habes ullam.

XXVII

Portę^{b)} ¹⁾ clausura nova virginis est genitura
 Quam deus intravit et solus eam penetravit^{c)}.

Hic loca linquenti deserta Syonque petenti,
 In forma Christi matrone iungitur isti.

- 5 Virginis esse statum fontem cognosce seratum,
 Ex quo manavit aqua nos quę sorde piavit.

Sic inflammatus nos est rubus igne crematus,
 Ut mater Christi post partum virgo fuisti.

Dum contra morem fert cum nuce virgula florem,

- 10 Tu quę virgo paris cum Christo significaris^{d)}.

Depositis curis pia mens intenta futuris
 Cum libertate dominum videt inmediate.

Virgo salutatur, homo Christus carne creatur.

Portat portantem se mater virgo tonantem,

- 15 Quem fovet exorat, quem spiritus omnis honorat.

Mitem se gessit rex noster quando recessit,
 Horridus hic prebet, quicquid meriti vice debet.

Digne promeritis, pater alme per omnia mitis,
 Ingenio modicus non te celebros sed amicus.

- 20 Gratifica mente feror affectu famulante,
 Non rogo me spernas, rogo cor non munera cernas.
 Iudicium mite docet auctor denique vitę,
 Sat cui donata viduę placuere minuta,

^{a)} tilis von der Texthand (Schreiber B 3) übergeschrieben. ^{b)} Von der Texthand über getilgtem Fontis. ^{c)} Ein horizontaler Trennungsstrich vor der nächsten Zeile hier und im Folgenden bei jedem Zeilenabstand. ^{d)} Ungetilgt folgen zu Beginn von fol. 71 c noch einmal die Verse 7 u. 8.

¹⁾ T fol. 71 b—d. Vgl. o. S. 464. Walther Nr. 14277.